

robore virium quam remigiis pinnarum. Draco maris captus, ut dicit Plinius, atque missus in harenam, cavernam sibi rostro mira agilitate cavat. Dentium
10 dolores sanat cinis ossium eius.

XVI. De delphinis. Delphini quoque in mari sunt, ut dicunt Iacobus et Solinus, belue speciei multiformis. Hiis bestiis nil velocius pelagus habet. Ac nisi infra rostrum os illi foret medio pene in ventre, nullus piscium celeritatem illius evaderet. Sed affert moram in providentia nature, quia nisi resupini atque
5 conversi aliquid capere aut retinere non valent. Mensis decimus partum liberat. Mares autem feminis parientibus catulos devorant; sed occultant se matres cum fetibus. Diligunt enim eos tenerrime et longo tempore ducunt post se, et sub aqua sequuntur matrem. At ubi ad robur etatis fetus pervenerint, nisi validi sint, eos etiam matres persequuntur. Fetus delphinorum, ut dicit Aristotiles, cito
10 crescunt semperque crescunt usque ad decem annos. Ipsi fetus decem mensibus completis venerem ineunt atque impregnantur. Delphini solo estatis tempore pariunt, hyberno nunquam. Uberibus fetus alunt. Interim fetus teneros in faucibus suis recipiunt. Ora vero non quo cetera belue habent loco, sed habent in ventribus et contra naturam aquatiliam soli linguas suas movent. Aculeatas
15 habent pennas dorsuales, que inhorrescunt erecte, cum belue irascuntur. Cum vero pacate fuerint, quibusdam receptaculis operiuntur. Spirare eos in aquas negant, et vitales auras non nisi in aere supero recuperare. Pro voce gemitus illis est, humano similis, et hoc quia pulmonem habent et venam asperam; et lingua eorum non est absoluta nec labia ipsorum proveniunt ad distinguendam vocem.
20 Aures non habent, sed foramen loco aurium. Delphinorum olfactus nec vestigia habent, cum tamen olfaciant sagacissime. Dormiunt super aquas, ut possint audiri stertere. Vivunt in annos plures, usque scilicet in annos centum quadraginta; et hoc Experimentator dicit, amputatis eorum caudis. Acutius flatu aquilonis audire perhibentur; austro flante obturantur auditu. Mulcentur musica,
25 gaudent cantibus tiliarum et, ubi hec audierint, gregibus adventant. Arrionem cytharedice artis hominem interficere nautis in mari parantibus, obtinuit ab illis, ut prius caneret cythara. Ad cuius cantum delphinorum gregibus congregatis, cum se iecisset in mari, exceptus ab uno eum ad litus pervexit. Solus delphin, ut dicit Aristotiles, felle caret.

30 Delphini parvi semper simul sunt tanquam greges et habent duos custodes magnos delphinos. Quod si unus eorum mortuus fuerit, alii efferunt eum super scapulas et custodiunt eum, quoadusque eiciatur tempestate maris ad litus. Custodiunt autem suum mortuum, ne ab aliis piscibus comedatur. Invicem enim se miro modo diligunt. Unde Plinio testante narratur, quod delphino capto
35 a rege Carie, ingens reliquorum convenit multitudo ad portum, ubi delphin ligatus tenebatur. Quibus plangentibus et quasi miserationem poscentibus, rex eum dimitti precepit. Si quis carnes delphini comederit, sicut dicit Experimentator, et in mari lapsus fuerit, si a delphinis inveniatur, statim eum devorant. Si autem non comederit, eum elevat super rostra et ad terram trahunt eumque

40 defendunt ab aliis piscibus. Quomodo autem hoc fit, ut esum carnis delphini cognoscant in homine, videre non possum, nisi et istud secretum nature sit, in quo sicut in aliis multis deus mirabilis predicetur. Delphinos sequitur aliorum piscium multitudo. Quod scientes piscatores venantur pisces, ubi illi transierint.

Sub Augusto principe puer in Campania fragmentis panis primo delphinum
 45 illexit, demum alendum se manui illius credidit; postea cum invaluisset puer audacia, dorso delphini insiliens ab eo vectitatus est. Hoc in primo mirabile fuit videntibus, sed postremo tamdiu inolevit assiduo spectaculo, ut desineret esse miraculum. Post multos vero annos defuncto puero, cum eum ad solitam inequitationem reverti minime videret expectaretque ad certum locum nec ille
 50 veniret, sub oculis publici vulgi delphinus morte interiit. Hoc Mecenatus, Fabianus et Solinus litteris comprehendunt. Apud Yponensem urbem in Affrica iuxta mare delphinus ab Yponiensibus pastus est, tractandumque se prebuit impositosque frequenter gestitavit. Proconsul quoque Affrice Flavianus cum eum delinisset unguentis, odoris novitate sopitus undosis fluctibus velut mortuus
 55 iactabatur. Historia Persarum: Apud Iasum urbem Babylonie puerum quemdam delphinus adamavit. Quem dum post consueta colludia recedentem impatientius sequeretur, harenis invectus inhesit. Item iuxta eandem urbem alium puerum Herianum nomine per marina similiter insidentem cum undosior fluctus necasset puerum, delphinus eum ad terram revexit, et velut fateretur reatum suum,
 60 penitentiam morte multavit.

XVII. De delphinis alterius generis. Delphinatorum quorundam genus aliud in Nilo flumine est, quorum dorsa cristas habent serratas. Hii delphini cocodrillos studio eliciunt ad natandum natantesque sub undis astutia fraudulenta decipiunt et occidunt. Nam cocodrillorum teneros ventres serratis cristis secant,
 5 et interimunt. Cocodrilli vero in aquis vident obtusius; in terra vero acutissime vident.

XVIII. De equis marinis. Equus maris monstrum est magnum ac forte multum. Hoc monstrum contra omnia fere marina monstra fortissimum est, nichilque extra aquam potest, ut dicit Aristotiles; sed statim ubi natura caruerit aquarum, carebit et vita. Partim formam equi habet, et hoc in superioribus.
 5 Posterior vero pars eius terminatur in piscis naturam. Vivit carnibus aliorum piscium. In pugna crudele est; sed hominem timet et contra eum partiri bella formidat.

XIX. De equo Nili fluminis. Equonilus, ut dicit Michael, in flumine Nili monstrum est ingens et ferocissimum, in Nilo flumine habitans. Crura et pedes et ungues ut cocodrillus habet, sed multo maiora. Humanarum mortium cupidissimum est. Nam cum navis illi in portu occurrerit, unum pedem in terra figens,
 5 altero navem in anteriori arripiens facillime scindit vel aliquando inclinatam mergit. Unde fit, ut in locis quibus habitat, hominum multitudinem immanem

XXIX. De delphinis. Delphinorum genus aliud est, sed forma minori, ut Ysidorus dicit, a delphinis beluis, qui tempestate imminente in superficie aquarum apparentes ludunt. Hoc indicio naute precognoscunt tempestates imminere. Adeo vident agilitate corporis sui, ut etiam naves transvolent.

XXX. De dentrice. Dentrix vel peagrus, ut dicit Ysidorus, a re nomen habet, eo quod duros dentes habeat, magnos multosque, quibus grassatur in ostreas piscesve innocuos. Hii pisces signant eos, qui crudelitate dominantes multos ministros truces habent, quorum ministerio grassantur in claustra pauperum quasi in ostreas et in illos, qui labore suo vitam ducunt innocuam.

XXXI. De echino. Echinus piscis est, ut dicunt Ysidorus et Iacobus, semipedalis tante virtutis, ut navem adherendo detineat. Ruant venti, sevant procelle, tollantur fluctus: navis quasi radicata immobilis stat nec procedere potest nec redire, pisciculo eam non tam retinente quam ei adherente. Hoc multis quidem incredibile visum est; sed tanta fides in hoc auctorum est et tanta concordia, ut nulli unquam de hoc dubitare relinquatur. Primus in hoc concordat beatus Ambrosius, secundus Iacobus Aconensis, tertius Aristotiles, quartus beatus Ysidorus, quintus et ille magnus Basilius. Huius rei auctores ideo ex ordine diligenti narratione posuimus, quia mirum quidem et super estimationem mirabile est, quod semipedalis pisciculum non ulla violentia, sed adhesionem tantum navem ducentorum pedum cum suis intus ponderibus retinet, ut nec ad punctum moveri possit. Ubi sunt stulti ac stolidi, non dico philosophi, sed immundi heretici, qui ideo improbant Christianorum fidem, quia super naturam et posse humanum eius articulos deprehendunt? Dic michi, flagitiosissime serpens, quid incredibilius videretur: aut virginem sine virili semine concipere et parere, aut pisciculum semipedalem adhesionem tantum tantam molem navis contra ventorum validissimos flatu retinere posse immobilem? Credo, quod tibi dictabit ratio virginem potius potuisse parere quam echinum pisciculum retinere navem. Equas enim, murilegos, perdices et vultures, teste beato Ambrosio, nec non et multa alia animalia sine commixtione seminum et sine masculorum concubitu ex flatu et odore tantum concipere certum est et prolem parere, et utique ambo miranda sunt quantum ad naturam et posse humanum. Sed virginem parere eleganter excellit: Christus enim vere deus omnipotens est, qui sic nasci potuit, quia sic nasci voluit. Echini vero piscis nulla alia ratio est in stupendo prodigio, nisi quod deus in creaturis suis mirabilis predicetur et hereticorum per hoc stultitia confundatur, quia nichil credere volunt preter communem nature cursum.

Ex cancrorum genere echini sunt, ut dicit Plinius, qui spinas simili modo pro pedibus habent. Circa coronam candidi nascuntur. Ova eorum amara sunt quina numero. Ora habent in medio corpore, colore vitrei, pene effigie scorpionis. Loco dentium graves aculeos in ore habent. Plures homines isto utuntur pisce in odium inimicorum. Comedi autem non potest piscis iste, quia comestus